



1785.  
16 1.  
1710 12  
[3]

O. A. M. D. G.

# THESES

EX

## VNIVERSO JURE,

TAM

CIVILI, QVAM CANONICO, TAM

EX LIBRIS FEVDALIBVS, QVAM ETIAM

PRAXI CRIMINALI DEPROMPTÆ,

QVAS

PRÆSIDE

### FELICE SPIZIO,

J. V. D. CODICIS, ET JURIS FEVDALIS

PROFESSORE PVBLICO, ET ILLVSTRIS REI-

PVBLICÆ NORICÆ CONSILIARIO.

PROFUGNANDAS EXHIBET

WOLFFGANGVS FERDINANDVS ab APFELTER

LL. Cult.

ad diem Februarii ANNO d<sup>ni</sup> 1800.

IN NORICORVM VNIVERSITATE ALTORFINA.

---

Sub prelo 10D. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

O. N. M. D. G.  
THESES

UNIVERSO JURE

CIVILI, QUAM CANONICO, TAM

EX LIBRIS FEVDALIBUS, QUAM ETIAM

TRIA ORIGINALI DE NOMINE

1748

PRÆSIDE

PHILIPPO SPINIO

ET D. GODIGIS, ET JURIS FEVDALIS

PROFESSORIS PUBLICI, ET AUSTRIÆ RE-

PTICÆ AUSTRIÆ CONSILII

FRANCISCO FERDINANDO

WOLFGANGVS FERDINANDVS P. APPELLTTER


1748

UNIVERSITATIS ALTAUENSIS

Sub prelo per Johann Baptist...



Non DVrâ Lege ; aſt ſoLâ ViriVte gVbernas  
NorIs : VIVE Deo ; VIVE, DIVqVe VALE.



PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI, AC  
PRVDENTISSIMI HVJVS INCLTTÆ REI-  
PVBLICÆ PROCERES, DOMINI, DOMINI  
GRATIOSISSIMI!

**I**urisprudentia, Facultatum omnium præstantiffi-  
ma, unâ tantum prudentiffimi VESTRI regiminis  
contemplatione felicius addifcitur, quàm affiduo  
labore, immenſoque legum ſtudio comparatur.  
Veritates omnes, quæ vel in Imperatorio Codice  
congeſtæ leguntur, vel ad auditorum captum explicantur in  
Scholis, omnes, inquam, tanta claritate in optimis VESTRIS  
moribus

moribus expressas intuemur, ut incultum profus, ac penè barbarum esset ingenium, quod virtutibus VESTRIS tam eruditè docentibus in Juris cognitione, legumque observantia parùm proficeret. Sileant legum volumina, sanctissimæ tamen leges in VOBIS nunquam obmutescunt; quinimò ampliori felicitatis fœnore vocabuntur mores, quod antea fuerat Juris Imperium, quodve legum terror vix efficere valuit, VESTRARVM Virtutum reverentiâ facillimè tandem consequetur. Verùm anceps hæret animus, an VOS Juris moderatores, legumque prototypum veneretur, an Jus ipsum Illustrium actionum VESTRARVM interpretem, VESTRÆque justitiæ typum admiretur, & colat; nimirum *vita Principis censura est, eaque perpetua* (Plin. Paneg.) *ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur; nec tam Imperio nobis opus est, quam exemplo.* Aliunde sibi legem scriptam adsciverint cæteri, nos habemus natam in PROCERIBVS NORICIS, ad quam sanctiora Romanorum Jura conformari gloriantur: habemus, inquam, & scriptis legibus meliorem, quod exemplo comprobet ea fieri posse, quæ ad populorum eruditionem SVA virtute præcipiunt, adimplenda.


Has ergò Theses è Romano Jure depromptas, Sapientiæ VESTRÆ, quæ certissima Juris est norma, humillimè consecro. Prodire palam erubescunt, nè fortè à tantis exemplaribus degeneres improbentur. Animum addat ea, quæ semper jacentes erigitis, immensa Benignitas VESTRA, mihiq; pro legum justitiâ certanti favere dignemini, non tam justissimi Judices, quam æquissimi PROCERES, & Patroni. Ita enixè orat, ac supplicat

PERILLVSTRIVM, ac PRVDEN-  
TISSIMARVM GENEROSITA-  
TVM VESTRARVM

fidelissimus, obsequentissimus & obligatissimus  
servus, ac cliens

WOLFFGANGVS FERDINANDVS

ab APFELTER. LL. C.



Praefatiuncula ad benevolum Lectorem.

**P**raesens opusculum non per modum tractatus [prout in quibusdam Aca-  
demis laudabiliter contingere solet] sed a l modum thesum, & conclusionum, atque Scho-  
lastica methodo proponere libuit; idque partim ex eo, cum aliunde tot extent doctissimorum Interpretum, & Glossatorum, qui de Jurisprudencia pereximie scripsere, tractatus, ac volumina; partim quoque, ut varietati, (qua ut plurimum delectare solet) uti & brevitati studendo, neminem taedio officiam. Porro concedetur [si tempus moras dederit] cuilibet, etiam extra ordinem, liberum contra praesentes theses arbitrium opponendi.

EX JURE CIVILI.

**I**gitur ut a Jurisdictione exordiar (qua, summa, & Majestati analogâ potitur Illustris Noricorum Respublica in suo territorio, vi privilegiorum singularibus diplomatibus, a variis Rom. Imper. nimirum ab augustissimo gloriosae memoriae Carolo IV. Anno 1355. a Carolo V. Anno 1550. a Rudolpho II. Anno 1577. parâ clementia confirmatorum) sit.

THESIS I.

Ad Libr. II. Tit. I. ff. de Jurisdictione.

An mixtum Imperium delegari possit?

**P**raesupposita Jurisdictionis definitione; quod nimirum sit publica jurisdictionis potestas, ita ex Doctoris Lauterb. ad tit. ff. de jurisd. viri excellentissimi, & perenni memoria digni compendio;

item prælibata ejusdem divisione in civilem, & criminalem; in voluntariam, & contentiosam; ordinariam & extraordinariam; in principalem seu propriam, & in minus principalem, seu non propriam; mandatam, & prorogatam; in dependentem, & independentem; hodie tamen principaliter in Ecclesiasticam ratione Papatûs (quæ tamen olim juri Civili incognita fuit) & Sæcularem, in Superiorem, seu altam, aut criminalem, & in inferiorem, bassam, seu Civilem; allodialem, feudalem, forestalem; in personalem, & realem seu patrimoniam; in simplicem, & circumseptam, *Die Zaungerichte* / omiſſis aliis divisionibus: Controversitur nunc inter DD. an mixtum imperium delegari possit. Nonnulli cum Bartholo negant *per leg. 1. ff. de officio ejus &c. per l. nec quicquam §. ubi decretum ff. de officio Proc. & L. 1. omnia quæcunque de R. I. accedit ratio: quia requirunt plenam cognitionem &c. Resolvendâ legum antinomiâ affirmativa defenditur, per l. 1. §. 1. §. ult. ff. de off. ejuscui mand. l. ult. ff. eod. l. 4. ff. eod. Nec deest ratio; quia imperium, quod jurisdictioni cohæret, mixtum est l. 3. ff. de jurisd. om. jud. ita sentit. *Alciat. l. 2. parad. c. 1. Longouall. Fulgos. & alii.**

II.

*An merum imperium saltem de jure Canonico delegari possit?*

A jure Civili apertè statutum est, neminem gladii potestatem, quam ipse habet, alii posse demandare *l. solet ff. de offic. procons. l. nemo potest gladii de R. I. l. 1. ff. de offic. ejus &c.* modò quæritur, an hoc de jure Canonico immutatum sit, ita ut possit delegari. Quidam conantur id affirmare *per c. 4. in Archiepiscopatu X. de raptor. c. acqua de consecr. Eccles. vel Altar. c. ult. ne clerici, vel monachi in 6. Clem. 1. §. 1. de heretic. c. licet de offic. Vis. in 6. & c. si Episcopus de offic. Ordinar. in 6. & tandem per c. ult. de offic. jud. Ordinar. Negativa placet; non obstantibus text. contrariis, *nec mulieres c. de monialibus c. perveniat, c. quod de his c. ult. de sent. excommun.* ex quibus adversarii probant, hanc potestatem quandoque specialiter Episcopis fuisse tributam.*

III. *Ar*



III.

*An jurisdictio prorogata, quæ Conventionalis dicitur,  
hodie locum obtineat?*

Prorogata jurisdictio originem quoad appellationem vocis non à jure Civili, sed ab Interpretibus, & Pragmaticis sumit, nec non à Jure Canonico c. 40. X. de offic. & pot. Jud. del. Differt aliquantulum ab ordinaria: nam definitur: *jurisdictionis extræ fines suos consensu partium facta productio. Vinn. de jurisd. c. 10. n. 1.* alia legalis necessaria, alia conventionalis spontanea Struv. *Civil. exerc. g. th. 59.* Eam, quæ fit per reconventionem, in Foris Imperii tam communibus, quam particularibus Statuum, Jure hodierno locum obtinere nemo dubitat. *Zenger de except. part. 2. c. 1. n. 374. Gail. 1. Obs. 35. n. ult. Schilter dissert. de jure Reconvent. Pers. illustr. exerc. ad π p. m. 421.* Controversatur de conventionali, quam assero etiam hodie dari per l. 1. C. de jurisd. omn. l. 1. ff. de judic. C. significasti 18. X. de for. comp. Conf. Donell. l. 17. c. 10. Sichard. ad l. 1. C. de jurisd. vultei. ad tit. C. de jurisd. n. 163. Negant Stephani de jurisd. lib. 1. c. 25. n. 52. B. de Lincker. ad tit. ff. de Jurisd. §. 26. Franzk. lib. 1. resol. 17. n. 95. & seqq. Pruckman. vol. 2. Conf. 20. n. 134. alique citati à Stryck. in usu moderno ad π tit. de jurisd. §. 22. per l. 38. ff. de pact. l. pen. C. de pact.

IV.

*Ad Lib. V. ff. T. 1. de judic. & ubi quisque &c.*

*An Judex in propria causa possit exercere suam  
Jurisdictionem?*

Negativam amplector, nimirum judicem ut talem in nullo casu posse in causa propria sibi jus dicere per l. ur. Cod. ne quis in sua causa &c. arg. l. 16. C. de judic. can. quod suspecti 15. c. 3. q. 50. C. cum inter 5. X. de except. nec deest ratio; cum philautia connata, avaritia, ambitio, vindicta, aliaque plura, quæ sub nomine philautiæ continentur, obstant, quominus rite judicare in sua causa possit; non quidem semper; enimvero quidam magna justitia præ-  
dix

diti reperiantur; verum quia *hirundo non facit ver*, legesque disponunt de eo, quod ut plurimum fit, nec singulares casus attendunt, ergo &c. Non obstant rationes contrariae; nimirum durum esse, ut viri ita graves, jurejurando obstricti suspensionem foveant &c. Conf. *Hobbes, qui scribens de Civ. c. 1. §. 9. quemlibet actionum suarum judicem facit. Grot. l. 1. c. 3. §. 1. de J. B. & P. quod judicia non a natura, sed ab hominibus sint. Item l. 3. ff. de adopt. emancip.* Et Judex potest sustinere duplicem personam (ut fit in comite Palatino, & notario) *l. 9. ff. de pact. l. 59. §. 1. in f. ad Sct. Trebell. per l. 2. ff. de offic. Prat. l. 2. ff. de offic. pras. l. un. §. 2. de offic. Conf. l. 3. §. 4. ff. de adopt. l. 8. §. 3. ff. de alien. jud. mut. &c.*

V.

*An cæcus possit esse Judex?*

Judex est persona, qua publicam habet auctoritatem de causis controversis cognoscendi, easque sua sententia definiendi *Lauterb. comp. lib. 5. t. 1. de judic. p. 98.* Quaritur modo an cæcus possit fungi officio judicis? affirmant quidam *per l. 6. ff. de judiciis arg. l. 1. §. 5. ff. de postulando.* Et quia Assessoribus stipatus potest rite exercere officium suum, &c. Sed placet negativa propter *l. 9. C. de judic. Nov. 82. c. 13. Conf. Bachov. ad Tr. V. 1. D. 3. §. 2. lit. t. an hodie observetur.* Item *l. 1. 2. 3. C. de sent. ex peric. recit. Conf. D. Struck. usu mod. tit. de jud. §. 7.*

VI.

*An judicium incipiat a litis contestatione, an vero a citatione?*

Quid sit litis contestatio (germanis *die Kriegs-Befestigung*) habetur clarè ex *Compendio Lauterb. t. de judic. scilicet est judicii suscepti utrinque facta professio. Vult. L. 1. c. 3. n. 58. conf. Carpz. de process. tit. 10. art. 1. n. 1.* Constituitur judicium realiter per litis contestationem *l. un. C. de lit. cont. l. 15. ff. rem rat. hab. c. 30. X. de V. §. Conf. Carpz. de process. t. 10. a. 1. n. 1.* Item *c. un. X. de lit. cont. arg. l. 4. C. de sent. & interl.* Alii apud Ripam, Abb. Panorm. volunt, inci-

incipere à citatione per c. sæpè V. S. in 6. &c. Prior opinio defenditur.

VII.

*An in concursu cause criminales civilibus preferenda?*

Criminales primum locum sibi vindicare affirmo propter l. ult. C. de ord. Jud. Conf. noviss. decis. Elect. 88. Minimè me feriunt negantes per l. 3. C. de ord. jud. l. 4. de publ. jud. l. 1. C. de appell. Confer. Berger. in resol. LL. obst. in Comp. Lauterb.

VIII.

Ad Lib. III. tit. 1. ff. de postulando.

*An donatarius citra ingratitudinis notam postulare possit contra donatorem?*

Postulare dicitur, qui desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponit, vel alterius desiderio contradicit l. 1. §. 2. h. t. Lauterb. comp. h. t. Postulans pro aliis dicitur Advocatus *Jürsprecher* / oder *Redner*. Donatarius ergo contra donatorem licet postulat; ita Lauterb. tit. cit. Perez in C. h. n. f. nam nunquam legitur esse prohibitum. Non officit contraria opinio per c. f. X. de postulando, nec l. ult. C. de revoc. don. quam sequitur Gall. 2. O. 85. n. 5. Bach. v. 1. D. 8. §. 2. 9. Hahn h. arg. c. f. X. de postul. & l. f. C. de revoc. don.

IX.

*An advocato cum cliente pacisci liceat non solum de certo salario, si ve vincat, si ve non; sed etiam insuper de aliquo palmario ultra salarium, si vicerit?*

Affirmant varii cum Lauterb. Comp. jur. nam hoc pactum non est prohibitum, quod & ego verum puro; licet nonnulli negent propter l. 7. ff. mand. l. 6. §. 2. C. h. t. & c.

X.

*An clausula de rato, & sigillum vel publicum, vel constituentis procuratorem, de jure civili sint necessaria?*

Negant hodie quamplurimi cum Lauterb. in comp. 1. de procurat.

curat. Bach. *v. 1. D. 9. 8. lit. a. Fr. h. n. 24. Berl. p. 1. d. 80. n. 3. v. Carpz. 1. c. 1. d. 27.* quorum opinio a me defenditur *per l. 6. ff. de conduct. indeb. l. 87. ff. de solut.* præscindendo tamen à consuetudine locorum, & curiarum stylo. Non obstant contraria desumpta *ex l. 65. ff. de procurat. l. 5. §. 18. de nov. oper. nunt.*

XI.

**Ad Novellam** us. ut cum de Appell. cog. c. 3. aliud quoque &c.  
**An possint parentes filios suos exheredare ob alias causas, quæ non sunt ex 14. ibidem expressis; quæ tamen sint humiles, aut majores?**

Prælibatis hucusque nonnullis ad jurisdictionem, atque ad legitimum iudicium spectantibus, nunc de objecto materiali iudiciorum (utpote sunt ultimæ voluntates, contractus, delicta &c.) quasdam theses subnectere libet; & primò quidem de exheredatione liberorum. Quæritur ergò à DD. an liberi exheredari possint &c. Affirmant hodie plerique *Lauserb. in comp. tit. de inoff. test. Vinn. ad pr. J. de inoff. test. n. 2. Finckelth. O. 99. n. 221. Wesenb. p. 1. cons. 29. n. 49. Schulz. ad Inst. de inoff. test. lit. E. arg. l. 32. pr. ff. ad Leg. Aquil. arg. l. 14. §. 5. ff. de bon. libert.* Item à paritate rationis propter feudalia *l. 1. t. 5. Feud. l. non possunt ff. de legib.* absurdum foret, & à jure alienum, si causâ major ingratitude committatur, vel similis eis, quæ à lege expressæ, eaque non eodem jure censeretur. Tandem ob præsumtam Legislatoris voluntatem &c. Negativam in puncto Juris amplector per dictam *Novell. 115. c. odia. de R. I. in 6.* (præscindo tamen à praxi, & consuetudine locorum) *ita à Martin. Laudens. Alexand. in auth. non licet. C. de lib. præter. n. 4. &c.*

XII.

**An si filius post injuriam parenti illatam, eidem reconciliatus fuerit, exheredationi sit locus?**

Volunt quidam cum *Averin. ad L. filio quem pater ff. de lib. & postb. Gerard. sing. 3. quos cit. Covar. in c. Rainucius n. 17. de testam.*

testam. exheredationem non cessare, licet filius in gratiam patris redierit, sumpto fundamento ex d. l. filio &c. & hac ratione fultis: Si nimirum exhereditatio censeretur extincta, filius maneret prateritus, essetque testamentum nullum, quod minimè convenit parentis voluntatis; ergo. Hanc opinionem impugno, nec admitto in dicta hypothese fore locum exheredationi per l. 3. §. ult. cum l. seq. ff. de adim. legat. junct. l. 5. C. fam. Ercisc. l. Lucius Titius 90. §. Lucius de leg. 2. & §. ult. F. de injer. ita Bartol. in d. l. 3. Fason. in auth. non licet ad finem C. de lib. prat. addentes ad consf. 159. Alexand. lib. 7. Purpurat. ad l. ult. C. de pact. n. 145. & alii.

XIII.

An si filius de commissa in patrem ingratitude poeniteat, possit exheredari?

Exheredari non posse defendo cum Alexandro in i. 1. n. 33. ff. solut. matr. Fason in l. in arenam C. de inoffic. test. & in Auth. non licet C. de lib. prat. Caelian. Coita in memor. in dictione filiusfam. Clar. §. testamentum quest. 41. vers. praterea quaro. fundamentum desumpto ex arg. l. imperialis C. de nupt. §. aliud in Auth. ut cum de app. cog. c. ferrum c. fidelior 50. dist. c. inter opera de sponsalib. l. diuus ff. ad L. Pomp. de parric. Licet contrarium sentiat Felyn. in c. Rodolphus Col. 3. de rescript. Couar in C. Rainucius n. 18. de testam. per gloss. in c. de his de accusat. arg. l. qui ea, ff. de furt. l. per. ff. de vi bon. rapt.

XIV.

Ad Lib. III. T. 28. Cod. de inoff. testamento.

An jure novo testamentum filii fam. testati de quasi Castrensis querelâ inofficiosi a parentibus impugnari possit?

Negativam sustineo per l. ult. §. 2. C. h. t. junct. l. 3. C. de silentiariis Conf. Berger. in resol. LL. obsf. in Laut. comp. lib. 5. t. 2. Affirmant nonnulli propter Nouell. 117. c. 4. &c.

XV.

*An si frater eadem turpitudine, aut nota labore, qua institutus, ei competat querela inofficiosi?*

Quidam volunt competere per rationem generalem desontam ex l. 27. C. de inoff. test. ibi: *Si scripti heredes &c.* At negativa verior est ex arg. l. 47. ff. sol. matr. l. 11. C. de inoff. test. c. 3. X. de except. Conf. Berg. in resol. LL. obft. in Comp. Lauterb. &c.

XVI.

*Utrum legata conferuntur testamento ex posthumi preteritione ignoranter facta, rescisso?*

Controvertunt DD. negat Bart. Castrens. Jason. Lauterb. in Comp. lib. 28. t. 2. & alii multi in Comment. Auth. ex causa C. de lib. prater. Clar. §. in testamentum q. 52. v. Sed quid si posthumus Ratio est in aprico: quia non idem militat argumentum, ubi ignoranter est prateritus arg. l. si unquam C. de revoc. don. Item l. qui gravi ff. de jure Codicill. & l. pen. eod. Contrarie ad stipulantur nonnulli: quia non est maior ratio de scienter praterito, quam de ignoranter d. Auth. ex causa. Item per l. cum mater ff. de inoff. test. ita Alexandr. & Cornucius in d. auth. Colleg. Mediol. teste Cagnolo n. 23. Hisce minime officientibus negativam amplector

XVII.

Ad Lib. VI. Cod. de testamentis &c.

*An Testamentum, in quo liberi emancipati illegitime exheredantur, hodie sit ipso jure nullum?*

Negat Lauterb. in suo Comp. lib. 28. t. 2. & §. de lib. & posth. de hered. instit. cum nonnullis aliis. Placet affirmativa ob Nouell. 115. c. 3. & §. ult. ibi: *si hac observata &c.* ita Berger. resol. LL. obft. in comp. Laut. lib. 2. t. 5. de hered. instit. aliisque plures.

XVIII.

*An [ si testator testamentum facere inceperit inter liberos, denique*

deinde jussit, ut notarius vocaretur, & simul etiam, testes antequam accederent, mortuus est, ] Valeat talis dispositio?

Oldradus in *conf. 119.* & multi alii relati à Covaruvia *inc. relatum 1. X. de testam.* tenent nulliter factam prædictam dispositionem per *l. fideicommissa vers. quoties ff. de leg. 3. l. ex ea scriptura ff. de testam. l. contractus C. de fide instr. l. 2. C. de sent. ex per. ric. recit.* Contrariam sententiam probabiliorum judico per *l. ult. C. fam. Ercisc. Nov. Justiniani de testam. imperfectis C. hac consultiissima junct. auth. de testam.*

XIX.

An legitimatus filius naturalis per rescriptum Principis, & in conditione positus, excludat substitutum?

Quamplurimi id negant, inter quos numeratur Baldus, ad *l. lucius 2. ff. de hered. ins tit. Calder. in Conf. 2. tit. qui filii sint legit. Salycet. Imola, Fulgosius, Jason, Decius, Fachin. lib. 4. contr. c. 53. & alii*, sumpto fundamento ex *c. quamvis de rescript. in 6. l. patrono ff. de natalib. ressit. ex. c. 1. §. naturales si de feudofuer. controuv. inter vasal. & agn.* Item quia taliter legitimatus non est filius arg. *l. filium deservimus ff. de his, qui sui vel alie. jur. sunt l. ult. C. de his qui veniam atat. impetr.* Ego cum communiori affirmativæ adhaereo propter *auth. quib. mod. nat. eff. sui §. reliqui §. Si quis ergo filios §. sit. igitur licentia §i & quoniam varie cod. tit. ita Jacob. Menoch. de praesumpt. lib. 4. praesumpt. t. 79. Mantica de conject. ult. volunt. lib. 11. t. 10.*

XX.

Utrum legitima filiorum Statuto tolli possit?

Hæc controversia latè tractatur à Covar. in *4. lib. Decret. p. 2. c. 8. §. 6. n. 5. Andrea Gail. l. 2. Observ. 122.* Aliqui putant tolli posse: quia jure civili constituta; facit huc *§. sed naturalis Inst. de jure nat. gent. & civ.* Item *l. 12. tabularum C. de legit. hered. §. 1. auth. de triente & semisse*, ubi lex præcipit legitimam.

Item remedia (ut est querela inofficiosi, petitio supplementi & similia) jure civili prodire, ergo &c. Alii negant: quia de jure naturali debita, huc facit *l. cum ratio ff. de bon. damn. l. scripto ff. unde liberi §. primum itaque in auth. de hercd. & falcid. & quia est loco alimenti & sustentationis auth. de tricente & semisse; alimenta verò sunt juris naturalis l. 1. §. jus naturale ff. de justitia, & jure ergo &c. Tertiam amplector; nimirum, legitimam tolli non posse in totum, sed tantum minui à lege municipali, justà causà id dictante, ita *Cam. Imp. teste Gayll. Rotæ Rom. decis. 13. in novis fuit dubitatum, & decis. 476. nota consuetudo in antiquis.**

XXI.

Ad Lib. 2. Cod. tit. 2. de pactis.

*An pactum nudum de jure Civili producat actionem?*

Negativa, & communior mihi arridet per *l. 7. §. 4. ff. de pact. Nec obstat l. 6. C. de transact. l. 10. ff. de obl. & Act. l. 7. §. 7. ff. de pact. &c.*

XXII.

*An saltem de jure Canonico nudum pactum actionem pariat?*

Non pauci graves DD. id affirmarunt per *c. qualiter de pact. c. 3. X. eod. conf. Canonistæ in c. 1. de pact. Jason in leg. juris gentium §. igitur nudan. 4. ff. eod. & ibid. Petr. Calefact. n. 8. ex Didaco Couvar. in relect. c. quamvis in 2. parte §. 4. n. 14. Negativæ me subscribo; ratio est publica utilitas, & æquitas, quæ in utroque jure locum sibi vindicat; nè scilicet ex pacto nudo agatur litium minuendarum gratiâ *c. finem litibus de dol. & contum. &c.* quare discrimen haud statuendum inter jura sine expressâ Canonis autoritate. *Conf. Duaren. tit. de pact. Lauterb. in comp. jur. h. t.**

XXIII.

*Quid tum dicendum, si juramentum pacto nudo accedat?*

Decisio hæc ut plurimum dependet à celebri controversia inter DD. ventilata: an ex juramento oriatur actio. *Conf. Seraph. Senens. de privil. juram. priv. 19. Fachin. lib. 2. contr. c. 100. Ego con-*



constanter defendo eam non oriri, ac proinde nec ex pacto nudo, licet jurato: nam specialiter hoc statutum in liberto, ut promissione juratoria obligetur *l. ut jurisjurandi ff. de oper. libert. ergo secus in aliis; ergo nec de jure Canonico juxta regulam c. 1. & 2. de oper. nov. nunc. Non desunt tamen, qui id affirmant per c. cum contingat. de jurejurando. c. quamvis de pact. in 6. auth. Sacramenta puberum C. si advers. vend. l. si quis major. C. de transact. & l. ult. C. ad Leg. falc. c. de foro competentium.*

XXIV.

*Utrum Princeps Secularis licite juramentum relaxare, & remittere, ac de eo statuere possit?*

Hic incidenter presentem questionem, ac thesin subnectere placet: plurimi enim id negant; praesertim ex Pontificiis Canonis, relati à *Fasone in l. ult. ff. qui satisd. cog. à Covarr. ad c. quamvis de pact. in 6. 1. part. relect. §. 3. v. 7. Fachin. contr. l. 3 c. 13.* Dicentes, solum Ecclesiasticum Judicem juramenta relaxare posse per *c. novit de Judic. C. venerabilem de Elect.* Quia praestatur Deo, estque res spiritualis, quæ spectat ad Judicem Ecclesiasticum, ideo ab eo robur accipit relaxatio, seu infirmitas juramenti, & hoc de moderno jure Pontificio. Hisce nequaquam obstantibus, non solum inter nos Evangelicos (qui aliud caput Ecclesiae præter Christum Dominum non agnoscimus, quique jure postliminii vi memorabilis transactionis Pastaviensis A. 1552. & pacificationis Religiosæ in Comitibus Augustanis Anno 1555. factæ, atque promulgatæ; & Anno 1648. iterum per instrumentum pacis Osnabr. Monaster. confirmatæ (vid. instrum. pac. Osnabrug. art. 5. §. 1.) Jura Ecclesiastica retinimus, jam antecedentes ab Imperatoribus Justiniano, & aliis habita, sed tempore Gregorii VII. dicti Hildebrandini, qui ob regnandi cupiditatem omnia jura sibi per vim arrogaverat, (vid. D. Maftricht §. 257. seq.) quæ ab aliis quoque Pontificibus successivè usurpata) sed etiam inter alios Christianos Principes affirmativam esse tenendam constanter defendo: praesertim ubi utilitas publica id exigit: huic sententiæ favent *Accurs. in l. adigere §. ult.*

ult. ff. de jure patron, Bart. in l. omnes populi n. 24. ff. de justitia & jure, alique à Fasone in l. ult. ff. qui satis. cog. citati. Et comprobatur per d. l. adigere §. ult. deinde à fortiori per c. 1. de jurejur. l. que sub conditione §. si quis sub jurisjurandi ff. de condit. instit. l. C. de indict. vid. toll. l. non dubium C. de legg. l. ut. ff. ad municipal. Ord. Camer. p. 2. t. 24. & R. F. noviss. de anno 1654. s. als sich dann &c. 167. in fin.

XXV.

Ad Lib. Cod. de dolo malo.

*An dolus reddat contractus bonæ fidei ipso jure nullos?*

Placet affirmativa per l. 7. ff. h. t. l. 16. §. 1. de minor. l. 5. C. de rescind. vend. Conf. Lauterb. in compend. l. 4. tit. 3. Vinn. lib. 1. sel. q. 12. Burg. d. diu. §. v. 12. Non desunt tamen asserentes, contractum in allata hypothese tantum rescindi per l. 5. C. de rescind. vend. conf. Berger. in resol. LL. obst. in Comp. Lauterb. &c.

XXVI.

Ad leg. finalem Cod. quod metûs &c.

*An contractus metu initus sit ipso jure nullus?*

Duplicem esse metum admittunt DD. nimirum levem; & gravem, seu cadentem in virum constantem, qui debet esse ab extrinseco, ut sufficiat ad actum rescindendum. Controvertitur modò, an talis metus annullet contractum, vel verò solùm præbeat locum rescissioni? Ego secundæ opinioni me subscribo per l. f. C. quod metus caus. ibi: infirmari. arg. l. 21. §. 5. ff. h. t. ibi: coactus volui. Non obstante antinomiâ, quam præ se ferre videtur l. 22. ff. h. t. l. 1. C. de rescind. vend. l. 14. §. 3. ff. h. t. l. 16. ff. de R. F.

XXVII.

Ad Lib. II. Cod. tit. 1. de Edendo.

*Ad nomen actionis exprimi debeat in libello?*

Communior est negativa per c. dilecti X. de judic. arg. l. 6. ff. de

*ff. de reb. cred. Conf. Carpz. 1. c. 2. d. 13. Bach. v. 1. Lauterb. in Comp. lib. 2. t. 13. Non obstant l. 3. Cod. de edendo, l. 33. ff. de judic. l. f. C. de interd. c. significantibus, de libelli oblat. &c.*

XXVIII.

*An auctor teneatur instrumenta reo edere?*

Volunt quidam non teneri per l. 1. §. 3. ff. de edendo. c. ea epistola de probationib. arg. l. f. C. de edendo. Affirmativæ adhæreo cum Lauterb. in Comp. lib. 2. ff. de edendo. propter l. 6. §. 3. l. 1. §. 3. l. 9. §. 2. ff. cod. &c.

XXIX.

*Ad Leg. I. Cod. de recept. Arbitris.*

*An a sententia arbitri detur appellatio?*

Negativam pro viribus amplector per l. 1. C. h. t. arg. l. 3. 6. C. de jurisd. omni. jud. l. 27. §. 2. ff. de recept. qui arbitri. Conf. Lauterb. in Comp. Fur. lib. 4. t. 8. & lib. 49. t. 1. In cassum laborant, qui contrarium probare conantur per l. 9. & 10. ff. qui satisd. cog. l. 76. ff. pro socio. Can. 34. caus. 2. q. 6.

XXX.

EX CRIMINALIBUS.

*Ad Lib. 9. tit. 47. Cod. de pœnis.*

*Utrum si non constet de corpore delicti, confessus condemnandus sit?*

Verior, & communior est negantium opinio. Conf. Clar. in §. fin. q. 55. vers. potest etiam, & Mynsinger. observ. 18. cent. 3. Carpz. in praxi crim. Probatur per l. 1. §. divus ff. de quest. l. 1. §. item illud ff. ad Syllanianum l. inde Neratius §. ult. ff. ad leg. Aquil. l. 4. ff. de confessis. Conantur nihilofecius quidam asserere, talem esse condemnandum per l. qui sententiam C. de panis. l. servos C. ad leg. Jul. de vi. l. si quis in hoc genus C. de Episc. & Cler. l. inter panas ff. de interd. & relegat. Item à contrario sensu

sentu per l. Neratius §. ult. ff. ad Leg. Aquil. Conf. Alex. in conf.  
19. lib. 7. & Ruin. in conf. 80. lib. 4.

XXXI.

*An confessus, se hominem peremisse ad sui defensionem,  
pœnâ homicidii condemnandus sit?*

Nonnulli putârunt, si probari non possit qualitas defensionis  
necessariâ, capite plectendum; quippe quod homicidium gravis-  
simum crimen præsumatur dolo commissum; ac proinde excusa-  
tio, quam reus adfert pro fundamento defensionis, probari de-  
bet, ut in l. 1. C. ad leg. Corn. de siccar. in c. 1. de præsumpt. &  
text. in l. si non conviciu C. de injur. Conf. Panorm. in c. auditis  
de præscript. circa finem Dec. in c. cum venerabilis n. 20. de ex-  
cept. &c. Alii volunt mitiori pœna afficiendum; nam ad capi-  
talem pœnam requiritur, ut reus sit plenè convictus, vel confes-  
sus, l. qui sententiam C. de pœnis; atqui hic non est plenè; quia  
non purè, & simpliciter, sed cum qualitate adjecta scilicet ad de-  
fensionem; ergo. Placet media sententia; nimirum quæ ex cir-  
cumstantiis, & qualitate occidentis, & occisi definienda vel ad  
pœnam capitalem, vel ad mitiorem, scilicet ex rei morum, &  
vitæ qualitate, præcedente etiam torturâ (si persona sit talis) ne  
per solam allegationem defensionis, quam quivis sicarius addu-  
cere possit, Respublica detrimentum patiatur. Ita cum Alberico  
& Fachin. contr. Juris plures alii DD.

XXXII.

*An quis in judicio criminali ex præsumtionibus damnari  
possit?*

Eorum sententiam amplector, qui ex indiciis, & argumen-  
tis nolunt condemnari reum aliquâ pœnâ, sed torqueri duntaxatè  
si vero conditio personæ, vel causæ id non patiatur, absolvi debe-  
re ita Fachin. lib. 1. contr. c. 29. & alii per l. milites §. oportet C.  
de questionibus l. unius §. reus ff. eod. l. absentem ff. de pœnis.  
Non obstat opinio eorum, qui cum pœnæ extraordinariæ subji-  
ciunt

ciunt ob c. accedens de accusat c. significasti de adulteriis c. literas  
*J. pen. & c. afferre de presump. c. c. de hoc de simonia. c. con-*  
*tumacia de hereticis in 6. Nec afferentium, absolvendum esse*  
*per l. qui sententiam C. de panis l. ult. C. de probat. l. absentem ff.*  
*de panis. Nec denique eorum, qui poenâ ordinaria afficiendum do-*  
*cent per l. qui adulterii C. ad l. Jul. de adult. l. 1. C. ad leg. Corn. de*  
*Sicc. l. si corviti C. de injuriis. Conf. Francisc. Sarmient. lib. 1. select.*  
*interpret. c. 1. & Menoch. de presump. l. 1. q. 70. n. 19. & seq.*

EX JURE CANONICO.

Quamvis hæctenus nonnullæ ex præsentibus thesibus secundum  
 Juris Canonici Regulas à me fuerint positæ; attamen hæc  
 speciaticim aliquas ex eodem jure decerptas theses subnectere libet:  
 Enimverò, etsi prædictum Jus, quod ante Justiniani Imperatoris  
 religiosissimæ tempora Juri Civili planè incognitum fuerit; attamen  
 à nobis Evangelicis, aliisque Protestantibus post reformatio-  
 nem à D. Luthero viro verè Evangelico, & puri Verbi Divini mi-  
 nistro factam, retentum est; ac etiam quoad plura, conscientias,  
 juramenta, matrimonia, pias causas &c. concernentia, atque  
 nostræ Religionis non contrariantia (non quidem ob jus Monar-  
 chicum vel supremi capitis in totam Christianitatem, vel obsummam,  
 quæ Romano Pontifici falsò attribuitur, auctoritatem; sed ob æqui-  
 tatem duntaxat, quam in pluribus materiis præ se fert) observatur.

XXXIII.

*An Judex debeat judicare secundum allegata, & probata?  
 an verò secundum propriam scientiam & conscientiam?*

Judicem debere secundum suam conscientiam ferre sententiam  
 sustinetur à quibusdam per c. cum aterni de sent. & re judicata in  
 6. l. satius ff. de panis. l. 13. in f. C. de sent. & interl. l. 14. C. de  
 judic. auth. qui semel. C. quomodo & quando Judex l. 19. §. 1. &  
 l. 51. ff. locari cond. Conf. Mayer Instit. l. 4. t. de offic. Judic. §.  
 tum officium. At ego, licet non asseram, debere eum contra  
 conscientiam propriam judicare; attamen verissimum puto, senten-  
 tiam ferendam à judice secundum acta, & probata per l. 13. C. de

sent. & interloc. l. 19. ff. de appell. l. 6. §. 1. ff. de offic. praesid. l. 18. commun. divid. Conf. Ortyvin. ad instit. Jur. lib. 4. tit. 17. n. 17. 18. 19. 20. Hopp. Instit. lib. 4. t. 17. n. 1. & praesertim Ord. Camer. l. 1. tit. 57. Daß sie nach redlichen und Ländischen Ordnungen / Statuten / und Gewohnheiten richten wolten / &c.

XXXIV.

*An causa Matrimonii tractari debeat coram Iudice seculari?*

Causam matrimonii esse fori mixti admittunt communiter Canonista sed diverso respectu; quatenus nempe respicit ipsius contractum, vel poenam pro adulterio imponendam, spectat ad iudicem secularem, quatenus verò est Sacramentum (quod absque scripturae testimonio praetendunt Pontificii) uti & ratione divortii volunt spectare ad forum Ecclesiasticum per c. porro de divortii. At merito à me impugnatur hæc opinio intuitu tot. tit. ff. de divortii & repudiis. Auth. si pater C. divortio facto &c.

XXXV.

*An testamentum prius revocetur per posterius licet testator iuraverit se non revocaturum?*

Non obstantem iuramento, defendo posterius testamentum revocari; quia iuramentum sequitur naturam actus, cui advenit l. ult. C. de non num. pec. atqui testamentum est revocabile ex natura; quia voluntas hominis est perambulatoria usque ad vitæ supremum exitum l. 4. ff. de adm. legat. ergo &c. Item arg. l. stipulatio hoc modo ff. de V. O. Negativa, quam aliqui sustinent, probabatur per c. cum contingat de iurejurando, &c. similia; nullatenus tamen me feriunt. Conf. Covar. ad rubr. de testamentis p. 2. n. 9. Ful. Clar. §. testamentum quest. 94. Fachin. lib. 4. Contro. c. 8.

XXXVI.

*An ex eo, quod Jus Canonicum statuerit sufficere in testamento duos testes, & Parochum, etiam in terris Imperii observari debeat?* Affir-

Affirmativa suadetur per *c. cum esses X. de testam.* ubi Pontifex improbat tantum testium numerum; & dicit esse alienum à Div. Scriptura, à mente SS. PP. &c. Negativa pro viribus à me defenditur per *g. 3. Instit. de testam. ordin. Ord. Imper. de A. 1572. tit. Von Testamenten.* Conf. *Ludw. velle de ult. volunt. p. 2. pag. 204.*

XXXVII.

*An teneat testamentum ad pias causas factum aliqua schedula sine testibus?*

Omninò negandum est per *Novell. de testam. imperfect. auth. quod sine C. de testam.* Conf. *Socin. jur. in cons. 189. v. 76. lib. 2. Fachin. contr. lib. 4. c. 3.* Quamvis contrarium suadere videatur *c. relatum X. de testam. c. indicante X. eod. Alexand. in cons. 3. l. 7. & alii cit. à Jac. Merloch. cons. 224. lib. 3. Clar. g. testamentum q. 7. &c.*

XXXVIII.

*An clericorum testamenta, si sint inofficiosa, subjaceant querelæ, ac rescissioni?*

Æquitati consentaneum est, ut id affirmemus: si scilicet clerici eas res præter Ecclesiæ reditus acquirant, per *Novell. us. ut cum de appell. cogn. in §. & hæc quidem:* ubi clerici non excipiuntur. Conf. *Fachin. Contr. lib. 6. c. 75.* adducens *Andream Siculum, Salyet. Convarvium in c. quia nos de Testam.* Non obstat contraria opinio desumpta ex *c. sed hoc c. Sancto Concilio de success. ab intest. ex c. quia nos de testam. arg. l. si filiam tuam C. de inoff. test. l. ult. C. eod. auth. presbyteros eod. Novell. de Sanctis Episcopis & presbyteros &c.* Conf. *Bald. Accurs. in d. auth. C. de Episc. & cler. Abbas Panorm. in c. quia nos de testam. & alii plures.*

XXXIX.

*An clericus possit conveniri coram Iudice Laico?*

Ferè omnes Pontificii Canonistæ id negant ob privilegium fori, quod jactant se habere per *c. seculares de judiciis in 6. c. nisi clerici eod. c. si quis de foro competenti c. nullus judicium eod.*

Sed contrarium verius est in terris Imperii, & Protestantium per tot. tit. C. de Episcopis & Clericis: & patet ex dictis in thesi 24. præterquam quod extent historica monumenta, Clericos, & Sacerdotes in criminalibus coram Constantino Imp. accusatos fuisse. Conf. vita Constantini magni &c.

EX CONSUETUDINE FEUDORUM.

**D**E Consuetudinibus Feudorum (quæ licet non sint Juris antiqui, & Civilis, tamen partim authenticæ, ac non modicæ utilitatis) paucas theses subtexere non incongruum duxi: sit igitur thesis

XI.

*An vasallus ob causas à lege definitas ipso Jure cadat à feudo?*

Feudum à fidelitate ethymologari dicitur; unde si Vasallus infidelitatem, vel aliud quid in Dominum commiserit, queritur an per sententiam Judicis, seu Domini, vel ipso jure feudo priveatur? Aliqui putant requiri sententiam Judicis, quos refert Tirag. in resp. l. si unquam C. de revoc. donat. verbo revertatur n. 187. Probant per Gloss. in l. jubemus §. sanè. C. de sacros. Eccl. vers. privat. in l. in criminali vers. habeatur C. de jurisdic. omni. jud. l. 2. C. de jure emphyt. l. 1. tit. sancimus 21 quo temp. mil. invest. pet. c. 1. de feudo sine culp. non amitt. l. lex vectigali ff. de pignori. Non requiri sententiam sustineo cum Fachin. Contr. lib. 1. c. 93. Jason. in l. 2. C. de jure emphyt. n. 16. &c. per c. si capitanei l. 1. feud. t. 17. & per d. l. 2. Cod. de jur. emphyt.

LXI.

*Utrum feudum concessum pro hæredibus quibuscunque, extendatur ad heredes extraneos, & ad fœminas?*

Nonnulli putant restringendum ad masculos, & legitimos descendentes duntaxat; quia verba licet generalia, intelligenda secundum subjectam materiam, & ad habiles restringenda arg. l. 2. §. prator ait, 2. vers. qualiscunque, junct. Gloss. in vers. facultatem ff. qui satisd. cog. l. tutor §. prodigus ff. de injur. in c. 1. §. ult.



*ult. de jurejur. in 6. l. etsi instrumenta, verbo quibuscunque ibi  
Gloss. C. de fide instrum. l. ut gradatim §. 1. ff. de mun. & hon.  
Conf. Decius in cons. 171. n. 5. 6. &c. Verius tamen est extendi ad  
extraneos, & ad foeminas ob generalitatem verborum, & mentis  
loquentium L. Labeo ff. de suppell. legata. Conf. Jason in pralud.  
feud. n. 49. Fachin. Contr. lib. 7. c. 6.*

LXII.

*Coram quo tractari debeat causa feudalis controversa?*

Si litigantes sunt Principes conuassalli, & dependentes, forum  
apud dominum feudi, & pares curiæ fortiuntur, licet inuiti. *l. 2. f. 15.  
§. fin. ibi glossa quod forum in Imperio partim solus Imperator  
constituit Ord. Cam. p. 2. t. 7. partim iudicium aulicum, & camera.  
Tamen ex privilegio singularem instantiam Austregas Imperij sta-  
tus habent vid. c. 1. §. 3. in fin. Si vero inter dominum & Vasal-  
lum controversatur, paribus curiæ terminare relinquitur *l. F. c. 22.  
2. F. 16. Conf. Struv. c. 16. thes. 6.* Et hæc sufficere censeo de hac  
materia: Cæterum, ut initio memini, eximia nemo dubitat pri-  
vilegia, & jus Majestaticum, quo Illustris, & inclita Noricorum  
Respublica in suo territorio, non secus ac cæteri Principes, &  
Status Imperii, gaudet, atque perfrui non desinit; quam proinde  
Numen divinum usque ad finem mundi feliciter, eique prosperum  
regimen in subditos, fortitudinem in hostes, & tandem ad gaudia  
æterna post hujus vitæ cursum pervenire clementissimè concedat.  
Deo tandem ter opt. max. immortalis gloria atque grates peren-  
nes pro tot mihi collatis beneficiis, & pro tam gratiosa in meo  
Legali studio assistentia, in quo laudando, benedicendo, atque  
predicando à me nullus imponi potest*

FINIS.

Gratiarum actio in fine disputationis Auditoribus spectatissimis per-  
acta sequenti distycho:

Condignas Vobis potero num reddere grates?  
Haud sanè; cunctis gratia major inest,








Altdorf, Diss., 1710-11

X 2344169





165.

16  
12

O. A. M. D. G.

# THESES

EX

## VNIVERSO JURE,

TAM

CIVILI, QVAM CANONICO, TAM

EX LIBRIS FEVDALIBVS, QVAM ETIAM  
PRAXI CRIMINALI DEPROMPTÆ,

*QVAS*

PRÆSIDE

### FELICE SPIZIO,

J. V. D. CODICIS, ET JURIS FEVDALIS  
PROFESSORE PVBLICO, ET ILLVSTRIS REI.  
PVBLICÆ NORICÆ CONSILIARIO.

*PROPVGNANDAS EXHIBET*

WOLFFGANGVS FERDINANDVS ab APFELTER  
LL. Cult.

*ad diem Februarii ANNO dñs 1600.*

IN NORICORVM VNIVERSITATE ALTORFINA.

Sub prelo 10D. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

